



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 1. Deus vult nos ab hominibus doceri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

Dominus dedit, Dominus abstulit &c. Abstulit, qui dedit; nunquid perit, qui dedit? tanquam diceret: abstulit omnia; auferat omnia; nudum dimittat me, & servet mihi se. Quid enim mihi deerit, si DEum habuero: aut quid alia mihi profunt, si DEum non habuero? S. Aug. l. 1. de Symb. fidei c. 3.

Hæ sunt vel maxima divitiæ, non egere divitiis. S. Chryl. in Pl. 111.

Nihil nostrum est, nisi hoc tantum, quod corde possessum, atque animæ nostræ coherens, à nemine potest prorsus auferri. Cassianus coll. 3. c. 10. dicebat Abb. Pafnutius.

Vide tit. Virtutes.

TITULUS XV. DOCERE. DOCTRINA. DOCTOR.

§. I.

DEUS vult nos ab hominibus doceri.

Ex Veteri, & Novo, & Patribus.

Vocavit Dominus Samuel. 1. Reg. 3. 4. Cur Samuel à DEO vocatus ad Sacerdotem properat? ut puer cum DEO locutus prius ab homine instrueretur de modo, quò se deberet ad divinam locutionem comparare. Mendoza hic. DEus vocat Samuelem; simili voce Heli: & cur non aperit ei, ad quæ vocetur? sed ordinat, ut prius tendat ad Heli? Ut puer instrueretur à Seniore; quomodo se debeat disponere ad DEI mandatum accipiendum. Sylveira in Act. 9.

Omnes nos quasi oves erravimus: unusquisque in viam suam declinavit. Il. 53. 6. Daturus rationem, cur omnes erraverit? dicit: quemque in viam suam declinasse, suo iudicio ad hæsisse. Mendoza hic.

Ubi est, qui natus est? Matth. 2. 2. Diviniæ est providentiæ ordo, homines ab hominibus doceri. Sylveira hic q. 7.

Ibi dicitur tibi, quid te oporteat facere. Act. 9. 7. Saulum vocavit de cælo Dominus, non tamen quid agendum? plenius informavit; sed ad Ananiam remisit. Mendoza in 1. Reg. 3. v. 5. Et Centurionem Act. 10. 5. Cornelium, quamvis exauditas orationes ejus, elemosynasque respectas, ei Angelus nuntiaverit; tamen nullum esse ad Petrum ab eo imbuendum, legimus.

Divinas literas adeò obscuras voluit esse DEus, ut per *librum septem sigillis signatum*, Apoc. 5. 1. communiter intelligantur. Quò hæc obscuritas? Author Imp. hom. 44. in Matth. quia DEus etiam ex hominibus; alios voluit esse Doctores, alios discipulos. Ut scilicet inter eos mutua charitas, & humilitas, confervetur. Mendoza cit.

Qui se sibi magistrum constituit, stulto se discipulum subdit. S. Bern. ep. 87.

§. II.

A quo vis velis doceri.

Quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi. Act. 8. 31. Ibat Eunuchus, ut valde potens in magnifico curru, multò copiosius. *Sacr. Tom. I.*

mitatu famulorum: è contrà Philippus solus, humili vestitu, pedibusque, incedens. Ab eo tamen ille petit doceri, & illuminari; ut expendit S. Chryl. hom. 35. in Gen. non agrè tulit Ennuchus, nec dedignatus est, neque se contumeliâ affici existimavit: quod plerisque insulsis accidit; quos pudet ignorantiam suam confiteri, & ab eis discere, qui docere valeant; & frequentèr malunt in perpetua versari ignorantia. Sylveira hic.

Laudanda est modestia Apollo; quòd, cum esset vir doctissimus in Scriptura, voluit magis informari ab una muliere, & opifise. Act. 18. 26.

Licet undecunquè proficere, ac doceri. Omnia ferè mysticos afferunt intellectus; & facile est, ex qualibet re morum figurare venustatem. Nihil ita creatum est per se, nihil ita simplex; cui non sit aliquid, unde doceamur; vel cavere noxia, vel salutaria providere. Hildebertus ep. 16.

Vide plura tit. Consilia. Verbum Dei.

§. III.

Doctores.

Num. I.

Figura, & Symbola.

Pistor, Gen. 40. 1. significat Doctores grossioris, & naturalis doctrinæ Scribas: per Pincenam verò Doctores specialis doctrinæ. S. Thom. hic.

Collum tuum sicut monilia. Cant. 1. 9. In collo Doctores significantur; in monilibus opera exprimuntur: quia ea, quæ verbis docent, operibus ostendunt. S. Isidorus hic.

Sicut turris David, collum tuum. Cant. 4. 4. Collum; caput, & membra, connectit: unde per collum designantur, qui vel prædicatione, vel admonitione, alios convertunt, & capitū Christi jungunt. Rich. à S. Vict. hic.

Et habebat in dextera sua stellas septem. Apoc. 1. 16. Genuinam harum stellarum interpretationem dat ipse Angelus, qui hoc Joanni revelabat v. 20. *Septem stellas, angeli sunt septem Ecclesiarum.* Il. intelliguntur de Doctoribus. Dan. 12. 3. *qui ad justitiam erudunt multos, fulgebunt quasi stelle.* S. Hieron. hic: qui alios erudunt, stellarum fulgori comparantur: non enim sufficit scire Sapientiam, nisi ut alios erudias. Sylveira hic.

Q99

Nuai.